



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

2. Concordia Principum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

## Ethica.

Jam quæ ad vitæ præcepta, & morum informationem pertineant, dispiciamus. I. (a) Causa immissi in Ætoliæ vastatoris apri, neglectus fuit religionis, & cultus Dianæ, illorum temporum superstitione celebrata. Ex religione contempta, ait Mythologus, publicæ contingunt calamitates, agrorum sterilitas, animalium pestilentia, noxiarum incurfus bestiarum, cæteraque mala urbes & provincias pessundantia. Horatius canit Ode 6. lib. 3.

Dij multa neglecti dederunt  
Hesperia mala luctuosa.

II. (b) In conjunctione virium, potissimorum Græciæ heroum, elegans concordia schema nobis representatur. Quod si viri illi fortissimi, unius rogatu & invitamento Meleagri, consilia, viresque suas contulerunt, ad aprum, Calydoniæ regioni infestum exterminandum; quid par est facere Christianos Principes, ad Belluam illam, Turcam intelligo, à finibus suis propulsandam, plerasque partes orbis jam dudum fulmineis dentibus, formidandis exercitibus, ferro, flammæque, terra, marique vastantem?

III. (c) Meleager ayunculos trucidans, pingit ob oculos hominem impotenter abutentem felici victoriæ successu. Sic Alexander Macedo, postquam vino & victorijs inebriatus, seipsum nosse desijt, levibus de causis amicorum primos sustulit. Neque moderatiùs usus est victoria Horatius de Curiatij tergemini relata, qui sororem, interitum sponsi, pro muliebri consuetudine plangentem, sua manu interfecit. Omnia sibi licere putant, qui egregio aliquo facinore devinxerunt multitudinem. Contra Sapientes suadent, non insolescendum rebus secundis & in prosperitate metuenda adversa; homini privato non *viribus*, sed *juribus* vindicandas injurias. Sed & Plexippus ac Toxeus præfervido calore impotentiùs exarserunt, dum invidiâ cum femina certarunt. Quid enim? tulerit munus illud Atalanta; prerogativa fuit non honoris, sed amoris. Et quid potuit minùs facere Meleager, si quidem decorum sequi voluit, quàm venatrici tam nobili, aprum telo sauciãnti; molliorem affectum demonstrare? Feminea in laude non minuebatur virorum gloria, & penes victorem erat, quem vellet in communionem honoris ac prædæ admittere. Multa dantur infirmiori sexui, quæ si quis ipsi invidet, parùm se fortem probat, & prudentem. Indulgentia

(a) Neglectus religionis. (b) Concordia Principum. (c) Emulatio solida.